

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARVM

Disquisitio Quinta

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Salani

Rectore

Respondente

ANDREA ALEXANDRI

Kyrizâ-Marchico

In Festo Nativitatis Christi.

A. O. R. cl. I. CIVL.



HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris Oel-

schlegelij.

Dn unzerh.

AUGUSTO TEGMINI
Dignitatis ac Honoris
VIRORUM

*In sacro Virtutis ac Scientiæ theatro
Nobilissimorum*

GOTFRIDI OLEARII, SS.
Theol. D. Eccl. Salanzæ ad D. Ulrici Superintendentis Reverendi plurimum,
Hospitis faventissimi.


JOHANNIS OLEARII, SS. Theol.
D. Eccl. Cathedralis ibid. Pastoris & Archiepisc. Magdeb. Concionatoris Aulici
Reverendi plurimum.

BENEDICTI OHEIMII Med.
D. Reip. Hallensis Physici ordinarii & Archiatri Amplissimi, collegii Medici Senioris gravissimi.

SAMUELIS GUILHELMII.
Eccl. quæ ad ostia Tangræ est Pastoris & vicinarum Inspectoris multum Reverendi,
Adfinis pro Parente meritissimi.

*Dominorum meorum ex Mæcenatibus
& Promotoribus Magnorum.*

Sacrum hoc Pietatis thema & observantiæ æternæ debitum
submisso defero
Respondens.



ANALYSIS
 EVANGELII
 IN FESTO NATIVITATIS

Luc. 2. v. 1. usq. ad 15.

Prefatio.



*E*rito exclamat Rex &
 Propheta David: Domine Do-
 minus noster, quam admirabile
 est nomen tuum in universa terra!

*Vere est admirabile nomen Domini, quia mul-
 ta mirabilia reddiderunt illud mirabile: Virgo
 mater; Deus homo, stabulum solum, praesepe
 incunabulum. Quae talia, ut in caeteris quo-
 cunque modo rationes sufficiant, in istis solis
 me stupor complectatur, inquit Cyprianus. Ut
 vero uberius miremur, Historia totius contex-
 tus Evangelicus invitatur, In eo autem habetur.*

E

THE-

THESIS I.

Partim circumstantiarum denotatio, ubi
 tum tempus quando facta natiuitas, estq;
 generalis ejusdē declaratio v. i. in quo inde-
 finitè tum dum factum in diebus illis; scilicet
 cum Maria ante menses 9. Spiritus Sancti ob-
 umbratione gravida facta, partuq; iam iam es-
 set vicina, & postquam Baptista natus esset, id
 quod 25. Decembris in medio brumæ contigisse
 cum conceptio facta sit 25. Martii uniuersa
 Christianitas publicè perpetuo contestatur,
 dum eo ipso tempore solenniter Natalitia cele-
 brat: quæ in diem Veneris incidisse tum tempo-
 ris, prout nunc itidem, Buntingus in Pædia
 Christi testatur. Atq; ita quod prædictum
 erat, hoc tandem, postquam venit plenitudo
 temporis Gal. 4, 4. contigit: Vt discamus, De-
 um nostrum certò veracem esse. Et quamvis
 desideratus in singulis Monarchiis, à Patri-
 archis in Syriaca, à Daniele & sociis in Persica,
 à Sibyllis in Græca: tamen placuit Deo Roma-
 na Dan. 2, 44.

2. Dum Decretum exiit. Quo deno-
 tatur status & occasio natiuitatis Christi in
 Bethlehem, quæ competenter eueniunt, ut
 cum Regum & Pontificum ex Jacobi stripe de-
 scendentium successio consumpta esset, qui in
 æternum

79

eternum Rex & Pontifex, tunc nasceretur, uti
habet Augustinus lib. 3. de mirabil. Scr. S.
c. 3.

3. Definitè habetur cum causa efficiens,
à Cæsare Augusto, quia ita proditum erat
Dan. 2, 44. c. 9, 24. tempore quarta monarchia
regnum iri resuscitatum, ubi sceptrum Iude
sublatum Gen. 49, 10. solio Davidico collapsio
2. Sam. 7, 16. septuaginta duabus hebdomadi-
bus sublatis Dan. 9, 25. Cum ergo primus
Monarcha in quarta monarchia fuerit Au-
gustus, quiq; subegerat Iudæos, verus Augu-
stus cum nasci voluit, quia vel maxime tunc
decebat, ut cum Deus unus multorum Deorum
cultui finem impositurus esset, unus etiam
Rex nempe Cæsar dominaretur, quod habet
Theophyl. in Lucam. unde eum Tertull. lib.
4. adversus Marcionem c. 7. fidelissimum te-
stem natiuitatis appellat. quiq; quamvis Mo-
narcha, tamen humilissimus, dum noluit Domi-
nus appellari, coronam auream repudiavit, sa-
pientissimus fuit & humanissimus. Oros. l. 6. c.
20. ita etiam Christus Augustus augustissimus
dominatur à mari ad mare Ps. 72, 9. regni eius
non finis Dan. 2, 44. Luc. 1, 33. Et princeps pa-
cis, uti ille Es. 9, 6. Eph. 2, 14. vocatur.

4. Tum causa finalis, ut censeretur totus
orbis

orbis; propterea enim describebatur, quem-
 admodum vocabulum ἀπογοῖα φεδοῖ etiam
 apud Aristot. lib. 2. œconom. usurpatur. Per
 totum verò orbem Synecdochicè intelligitur
 ille, qui Romano Imperatori subiectus; & per
 metonymiam, facultates. Ac sic nascituro
 Domino mundus describitur, quia ille appare-
 bat in carne, habet Gregor. Hom. 8. super
 Evangelistas, qui Electos suos ascriberet in
 aternitatem Atq; ita quando nascitur Christus
 omnes profitentur; quando verò mundus con-
 eludetur, omnes periclitabuntur, habet Ambr.
 lib. 2. in Lucam c. 2. Describi verò non malum
 est, quia & Christus describi voluit in paren-
 tibus; ut discamus, etiam in hoc Christum nobis
 factum esse similem, ut nos à disciplina Legis
 redimeret Gal. 4. 4.

5. Et specialis determinatio v. 2. In quo ratio-
 ne ordinis. Et hæc fuit prima descriptio, quæ
 ita dicitur respectu alterius, quæ post annos 13.
 subsequuta est, cuius Iosephus meminisse l. 18. c. 12.
 & Act. 5. 37. eius fit mentio. & respectu parti-
 cularium, quales antea fuerunt. Addit Am-
 brof. lib. 2. in Lucam c. 2. quod professio prima
 non tantum terrarum, sed & mentium, cui o-
 mnes profitentur, quia nullus excipitur; non
 præ-

81

praconis evocatione, sed vatis, qui multò ante dixit: omnes gentes plaudite manibus invitatione.

6. Et ratione Praesidis, qui fuit Syriae Cyrenius. Non verò, uti pleriq³ volunt, Saturninus dictus: siquidem non jure ordinario praeses fuit, sed cum extraordinario imperio ad descriptionem faciendam venit in Syriam; Fuit quippe hic mos imperatorum, ut ad census agendos primarios Reipublica viros destinarent in provincias: Sic tanquam Proconsul seu procurator Caesaris Cyrenius, qui aequè ἡγεμονεύων appellabatur, missus, uti constat sufficientissime ex Corn. Tacit. qui. lib. 3. annalium tradit, quod datus Rector sit Caio Casari Armeniam obtinenti Marcus Lollius, cui successit Cyrenius seu Quirinius, uti Latini nominabant Niceph. l. 1. Hist. Eccl. c. 10. Sentius Saturninus verò, cujus facit mentionem Tertull: ordinari⁹ fuit, vid Thom. de Lydiat in recensione & explicatione de vita Christi. Et ita etiam Suidas testatur, in generali hoc censu emissos viginti praestantissimos viros ceu descriprores & exactores, inter quos Cyrenius princeps fuit, qui una asserit, ipsius Iesuli nomen in exactionum libellis fuisse repertum, ut discamus, Christi nativitatem non casu, sed certo tempore factam.

7. Tum est locus, cuius describitur con-
 junctim causa impulsiva, ubi occurrit unius-
 cujusq; in civitatem suam migratio v. 3. in
 quo partim effectus. Et iverunt omnes;
 Distributi enim erant Iudei in duodecim tri-
 bus quibus certa assignata à Iosua oppida. Ergo
 omnes ut subditi abeunt. Quo discamus ma-
 gistratus edictis parendum esse.

8. Partim eventus, unusquisque in pro-
 priam civitatem b. e. in tribus sua metropolim.
 Hic nobis spiritualiter etiam agendum, nostra
 quippe civitas sancta Ecclesia est, habet Beda,
 ad hanc ergo oportet etiam omnes peregrinari.

9. Et causa finalis, distinctim, Iosephi
 Nazareth à Bethlehemū profectio v. 4. in quo
 recenset factum seu effectum quoad prædica-
 tum, ascendit quippe sita erat Bethlehem re-
 spectu Nazarethi in loco superiore: & monemur
 una, nobis etiam ascendendum esse, si velimus,
 ut apud nos quoq; nascatur Christus: sursum
 enim sunt, quæ ad Deum pertinent.

10. Quoad subiectum, Ioseph, secundum
 ejus enim familiam census erat instituendus:
 unde & Lucas & Mattheus in genealogia Chri-
 sti eò respiciunt, ut Iosephi, quamvis nutritij
 tantum patris faciant mentionem, ita tamen

83

ut Lucas ascendendo, Matthaeus descendendo,
Lucas enim legalem, Matthaeus naturalem,
nativitatem describit.

11. Et terminum, partim à quo, gene-
ralem, ex Galilæa: ut ostendatur situs & di-
stinguatur ab alio loco. Singulariter autem
Galilæa fit mentio, quo vel minima circum-
stantia non negligatur. Alias pleraq; qua cum
Christo contigerunt, in Galilæa facta esse legun-
tur. unde & post resurrectionem primum in
Galilæa discipulis apparere voluisse constat.
Marc. 16, 7. quia Galilæa transmigrationem
denotat: cum ergo Iosephum migrare oporteret
& transire in novitatem vite; nos quoque in-
vitat ad transitum, inquit Bernh. Serm. 1. de
resurrect. Dei.

12. Specialem, ex civitate Nazareth,
ubi Iosephus habitavit: testatur namq; Esaias,
quod redemptorem nostrum in Nazareth con-
cipi quidem oporteret cum inquit c. 11, 1. Egre-
dietur virga de radice Jesse & Nazareus de ra-
dice eius ascendet. Unde & Christus ipse Nazare-
us vocatur, tñ ex loci appellatione, quàm ex Sa-
cramento Legis; Nazarei enim secundum Legē
Num. 6, 1. mundi nuncupabatur, qui castita-
tem Deo insigni voto manciparant, inquit
Chrysost. Hom. 4. in Epiphani.

13. Partim ad quem, generalem, Judæam
unde

unde vocatur Bethlehem Iudæ Iudic. 17, 7. 19
v. 1 ad differentiam alterius illius oppidi, quod
in tribu Sebulon Jos. 19 16. Nec otiosum est, in-
quit Bernhard. serm. 1. in vigil. Nat. quod ad-
ditur Judæ: siquidem admonet nos ejus, quæ
ad patres facta, promissionis. Huic verò loco
primum nasci debuit, dum venit in sua, licet
ipsum non receperint Ioh. 1, 11.

14. Specialem, quoad determinationem,
in civitatem David. Ex familia enim Davidis
Christum oportebat nasci secundum vaticinia
2. Sam. 7, 12 Psalm. 132, 11. Es. 11, 1. Jerem. 23,
5. unde & David vocatur Jerem. 30, 9. Ezech.
34, 23. Et est periphrasis Bethlehemi, quia
David ibi natus & educatus 1. Sam. 17, 13. c.
16, 4. vel quia post eam condidit; aquam
etiam ex fonte Bethlehemitico in senectute a-
vidissime appetiit, 2. Sam. 23, 15. atq; ita etiam
vocatur, Ioh. 7, 42.

15. Et quoad delineationem, per appella-
tionem, quæ vocatur Bethlehem. Dicitur au-
tem quasi domus panis teste Hieron. in cap. 5.
Michæ, notatione ex adjunctis ob singularē soli
fertilitatem: unde & Bethlehem Ephrata ap-
pellatur Mich. 5, 2. Ephrata verò ubertatem
frugum denotat. Et ita Christus quoque na-
scetur in cordibus nostris si desideraverimus
panem

88

panem caelestem ex Ioh. 6, 50. quippe futurum
erat profecto ut ille per materiam carnis appa-
reret, qui electorum mentes in terra satietate
reficeret, inquit Gregorius. Et bonum est, nos
illic quoque esse, ubi verbum Domini: non de-
est utiq. panis, qui confirmet cor, habet Bernh.
serm. 9. in Vigil Nat. Atq. hic nasci Christus
voluit ut ostenderet regnum suum non fore
mundanum, sed ut fructus nativitatis indica-
retur.

16. Et ratio quia ex domo & familia David,
Bethlehem igitur totius regiae & Davidica stir-
pis seminarium ac communis patria fuit Et qui-
dem Nazareth distabat Hierosolymis miliaribus
circiter 19, Bethleem vero Hierosolyma abfuit
juxta Hieron: miliaribus & dimidio. unde colli-
gitur iter fuisse fere 20¹ miliarium, qua di-
stantia pregnantibus satis molesta fuit. Ex quibus
discimus, Messiam certo exhibitum esse cum
nasci debuerit in Bethlehem Iudae juxta vatici-
nium Michea, quemadmodum etiam plebei
homines apud Iudaeos hoc fatebantur Ioh. 7. 42.
Et profecto magnum quod tempore captivitatis
Babylonica Hierosolyma vastata, Bethlehem
vero conservata, Ierem. 41, 17. Idq. ideo ut
Michea vaticinium posset impleri, jam vero
cum oppidum Bethlehem funditus deletum, ec-
quid expectant Iudaei?

17. Sic

17. Sic fuit circumstantia loci quoad causam & motum sequitur, quoad formam seu modum, ubi ostenditur tum profectiois consummatio v. s. in quo denominatur causa finalis, ut describeretur: propterea enim profectus est. Atq; ita Christus cum omnibus describitur: & oportebat etiam Dominum cum toto orbe censer, ut sanctificaret eos qui censerentur, aboleretq; servitutem, inquit Theophyl. in Lucam.

18. Tum sodalis, cum Maria: quia & illa erat de familia David; id quod probat Angelus Luc. 1. 32. dum inquit, quod paritura sit filium, qui habiturus thronum Davidis patris. Et quamvis in genealogia Christi Iosephus ponitur, id factum quia ex nominibus virorum contexi solebant: idq; ita, Iacob fuit Iosephi parens naturalis, Eli legalis, quia gener fuit propter Mariam, cuius naturalis parens Heli, alias dictus Iojakim. Iacob Martin. lib. 3. de Trib. Eloh. c. 97. Et quamquam non moris fuerit, ut mulieres in descriptione censerentur iuxta legem Exod. 30. 12. Num. 1. 2. tamen quia commendata Iosepho ab Angelo studiosissime Matt. 1. 20. assumpsit eam, quam gravidam tunc apud Nazareos nemini committere poterat, ut qui perversi erant Joh. 1. 46. Potissimum vero ut

com.

compleretur vaticinium, Bethlehemi enim nasci eum oportuit.

19. Et declaratur à relatione, cum desponsata uxore. Quo honestare voluit matrimonium, quod non concubitus, sed consensus facit. Et alias in V. T. sponsa uxores appellantur Deut. 22, 24. Et si cui scrupulus moveretur quare desponsata & non potius sine sponso, sive, ut scriptura loquitur, sine marito virgo cōceperit? Sciat, inquit Hieron. adv. Helvid. Tom. 3. triplicem fuisse causam, 1. ut per genealogiam Iosephi, cui cognata erat Maria, origo quoque Maria monstraretur, 2. nè iuxta Legem Moysis ut adultera lapidaretur à populo. 3. ut ad Ægyptum fugiens haberet solatium custodis potius quam mariti. Basil. in sol. Nat. Chr. Tom. 1. Atque ita Christus à desponsata nasci voluit partim propter se ipsum secundum vaticinium Es. 7, 14. Ezech. 44, 2. partim ut nostram immundam nativitatem sua sanctificaret, & denique 3. quia, ut origo peccati ex inobedientia conjugata virginis Eve tracta est, inquit Origen. ita iustitia origo per virginem desponsatam. Ideo autem etiam Dominus noster virginem sibi requisivit hospitium habitandi, ut nobis ostenderet in casto corde Deum portari debere, habet August. serm. 17 de Temp. Quin
quod

quod Leo addit serm. 2. in solemn. Nat. c. 3. ut humano generi natam salutem Diabolus ignoraret, & spiritali latente conceptu, quem non alium videret quàm alios, non aliter crederet natum esse quàm ceteros.

20. Tum gravida: non quidem ex Iosepho, sed à Spiritu Sancto Matth. 1, 20. Non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, inquit August. de consensu evangelistarum c. 2. non conjunctione corporum, sed, quod charius, copulatione animorū. Hac autē nativitas perturbat omnem cogitationem humanam, quoniam virtus eam operata divina, habet August. orat. contra Iudæos, paganos, Arianos, Et quanquam dicatur filius Iosephi, tamen curā non genitura: unde putabatur tantum Luc. 3, 23.

21. Tum partus appropinquatio v. 6. in quo in genere locus; quum autem essent ibi. ut ostendatur, non alibi sed Bethlehemi Christum natum esse; non in via, ut Iustinus voluit & Eusebius lib. 7. demonstr. Evang. in spelunca ex Es. 33. 16. cum tamen in fontibus istis non ita legatur, sed, Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas eius; quia vaticinium Michee de Bethlehem loquitur c. 5. 2. Synedrium Hierosolymitanum de Bethlehem respondet Matth. 2. 5. Magi leguntur domum

num Bethlehemi ingressi, non speluncam, ibiq³ matrem cum puero invenisse: Et Helena extruxit in urbe in illo loco templum. Et ne quis existimet, Mariam urbem non attigisse ante partum, hic expressè habet Evangelista cum ibi essent, ut discamus Scripturam audire, non fabulas aut traditiones contra Scripturam vulgatas.

22. In Specie tempus, completi sunt dies pariendi. Cessent itaq³ eorum querela impio murmure in divinis dispensationibus de Dominice nativitatis tarditate causantur, tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi ætate gestū: verbi incarnatio hec contulit facienda, qua facta, & sacramentum salutis humane in nullaunquam antiquitate cessavit, nec serò impletum, quod semper est creditum: nec minus adepti sunt, qui in illud crediderunt promissum quàm qui susceperunt donatum, habet Leo Mag⁹. serm. 3, Solemn. Nat.

23. Partim ejus declaratio v. 7. in quo quoad effectum: Et peperit filium primogenitum; parit enim in isto tempore & natura ordine, ita tamen, ut in primo momento conceptionis unio facta, quoad perfectionem essentialem, intelligatur: Si quidem Angelo annuntiante & Spiritu

ritu

90
ritu adventante mox verbum in utero, & mox
intra uterum verbum caro, inquit Gregorius.
Nec hic cogitetur parientis conditio, sed na-
scentis arbitrium, qui sic natus est ut volebat &
poterat, inquit Leo serm. 2. de Nat. Ac exina-
nitio illa, quâ se invisibilis visibilem prabuit,
inclinatio fuit miserationis, non potestatis defe-
ctio, idem Leo serm. 3. de eadem c. 2. Primogenitus
verò cum dicitur, est quia unigenitus:
non enim semper, quem frater post genitus se-
quatur, uti habet Hieron. adv. Helvidium
ex Exod. 13. 2. ut significetur, redimendum fu-
isse secundum Legem, quod habetur in hoc capite
v. 12. & seqq. Nec enim credendum est beatam
Dei genetricem alios post eum peperisse filios,
quam perpetua castitate cum viro suo Iosepho
constat esse memorabilem, habet Beda. Unde
& suum primogenitum dicitur peperisse, quia
filius matris erat & semen mulieris. Nec quid
operatur, quod allegatur ex Matt. 1, 25. ubi
dicitur, quod non cognoverit eam donec pare-
ret, quia saepe in Scriptura donec perpetuitatem
removendo precedens nec ponendo consequens,
significat, ut legitur Gen. 28, 15. 2. Sam. 6. v.
ult. Ps. 110, 1, unde Hieronymus ait: Helvidius
donec perrexerit, malus fuit, quo ostendere vo-
luit, quia semper perrexit, semper eum fuisse
malum.

91
maliam unde & de מַלְיָוָה erat vaticinium Es.
7.14. per quam vocem semper virginem deno-
tari consensus facit. Nec locus Prov. 30. 19.
contrarium arguit, quum non omnis conver-
satio vitiosa; & quum hoc loco facile intelliga-
tur, ita appellari licet addito termino, qui no-
tat privationem, alia denotetur.

24. Et adjunctum dum eum ligavit sese
fasciavit. quod verbum δένει & σπαρασσει
derivatur, significatq; lacerare seu discerpere.
Atq; ita vilissimis circumdatus pannis, ut scis-
sa humani generis unitatem suo redintegret
in corpore, totumq; immortalitatis vestimentum
purpureo sanguinis colore fulgens in caelestia re-
gna deferret, habet August. serm. 24. de Temp
Dives ergo Deo voluntario factus pauper, ut post
hac hominis natura in sua eminentia fastigi-
um evecta paupertatis confusionem amoveret
ex 2. Corinth. 8. 9. habet Cyrill. de recta fide
ad Regim. lib. 2. c. 3. Et ut noverimus univer-
sa haec per mysterium vel fieri vel dici: hic qui
pannis circumvolvitur, predicatus ab initio de
sinu Patris aeternoq; thalamo salutarium nuptia-
rum Sponsus venit de caelo, ut habet Maximus
Taurin. Hom. 2. in Nat.

25. Dum reclinavit, ubi denominatio lo-
ci, in praesepe, locum inmensis paratum, Joseph
entus

enim eum non audebat attingere, quem sciebat de se non esse generatum, ut loquitur Chrysoft. Hom. 25. in Iohann. Atq; ita humiliatur in cunabulis qui in nubibus tonat, in praesepe ponitur, quia omnis caro foenum, uti habet August. 24 de Temp. Quid ergo stabulum eligit? ut reprobet gloria mundi, damnet seculi vanitatem: in stercore nascitur, ut eos, qui sunt de stercore eleuet, in stercore nascitur, habet Chrysoft. hom. 35. in Iohan. ubi & Iob sedebat & postea coronatus est: in praesepe poni dignatus est, ut esset piorum cibaria iumentorum August. serm. 20. de temp. & Chrysol. serm. 159. ut ad pabulum perennis vitae agni caelestis invitet balatus. Hoc autem totum amor facit, quod trahat cor nostrum ad praesepe, qui vult ut ei exhibeamus obsequium Kemp. medit. 8. num. 3. & 4.

26. Et ratio, quia non erat locus in diversorio. Exigua magni pompa puerperii: qui creavit omnem locum, non invenit locum, ut nobis pararet locum August. serm. 24. de temp. Videte, exclamat Chrysoft. Hom. 25. de Nat. Chr. magnitudinem paupertatis; in diversorium vadunt, non in via legis, sed in diverticulum Evangelii: non sunt hic magna palatia, sed tamen caelestia solatia redundantia ex Christi paupertate, qua nostra ubertas; civitas parva, do-

mss

93

mus paupercula, supellex exigua, mater in fo-
no, filius in praesepe. Non autem diversorium
dictum est praesepe, sed proprie praesepe fuit,
quia locus non fuit in diversorio; neq; enim gra-
ce vel latine recte dicitur; jacet in illo diversio-
rio, sed divertitur. Quin & signum dicitur in-
veniendi Christi ab Angelo pastoribus.

27. Sic fuit circumstantiarum denota-
tio, sequitur nativitatis manifestatio ab ob-
jectis per testes, quorum alii sunt ignobilio-
res, & est pastorum notatio v. 8. de quibus
in genere ex accidente quoad officium: Pa-
stores erant. Quare autem primum pasto-
ribus voluerit manifestari, habet Chrylost.
quod, cum apud Iudeos omnia fere corrupta
essent, pastores adhuc antiqua innocentia vetu-
stissimum genus vivendi, Patriarcharum sci-
licet mores coluerint. Quin habebat ille pro-
avos suos Pastores Iacobum, Moysen, Davi-
dem; imò Iesus ipse erat bonus Pastor Ioh. 10.
14. magnus Pastor Ebr. 13. 20. & Archipastor
1. Pet. 2. 25. Oportebat itaq; ut, cum animarum
nutritor fidelium in mundo natus, testimoni-
um eius nativitatis pastores darent. Et electa
est humilium personarum simplicitas, ut pone-
retur regula & indissolubilis daretur forma,
quod non nisi pauperibus spiritu Christi pate-
ret

94
vet humilitas, nec superbos ad intuitum sui pos-
set admittere veritas, inquit Cyprianus ser
de nat. Dni. Ita Deus qui in altis habitat hu-
milia respicit Ps. 113, 5. 6. Matth. 11, 25. & non
sapientes & potentes, sed que stulta sunt mundi
eligit 1. Cor. 1, 27. vid. Bernh. serm. 4. de
Nat. Domini.

28. Tum quoad locum in regione ea-
dem: intelligitur locus pascuosissimus, qui fuit
in agro Bethlehemitico circa turrum Eder, cuius
mentio fit Gen. 25, 21, & Iosua 15, 4. Secundum
vaticinium Mich. 4, 8. ubi per rosam Sionis
aurea Christi intelligitur. Et Helena ibidem in
tanta rei memoriam templum crexit Niceph.
l. 8. Hist. Eccl. c. 30.

29. In Specie tum eorum effectum, in a-
gro agentes: hoc enim est ἀγρῶν λέειν quem
admodum etiam Arabs transtulit, & ita The-
ophyl. interpretatur. Unde tamen colligi non
potest, Christum non natum tempore brumæ
quia in Iudæa alia est aeris temperies, quam in
nostris locis, ut quum inibi elevatio tantum sit
30. graduum & 40. minutorum. Sic quoque
in Angliâ armenta totò anno in agris perno-
tant: Et cur quis Hierosolymitani aeris tem-
periem æstimet ex sua? Discamus autem hic à
pastoribus, in officio fideliter manendum esse.

30. Et

30. *Et custodientes; Hoc enim erat ipso-
rum officium. pastorum quippe est custodire
& vigilare, habet Chrysoft. Hom. 35. de Nat.
Dom. oportet igitur Episcopos custodire gre-
gem suum. videlicet ad disciplinam propter
morum correctionem, ne grex commissus pro-
pria molestia deficiat; ad custodiam propter
Diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur
calliditate; ad preces propter constantiam ne
vincatur à pusillanimitate; in disciplina vigor
justitia, in custodia spiritus consilii, in prece
affectus compassionis, habet Bernhardus in
sentent.*

31. *Tum est objectum, temporis, quod
fuerit noctu. idq; accedit ad consolationem;
quam multi enim secundum carnem in stratis
mollibus quiescebant. Et nemo eorum dignus
habitus videre Lucem, praterquam pastores
custodientes & facientes officium.*

23. *Rei, super gregem suum; Non ergò
ludos fecerunt, aut sortilegia instituerunt, sed
officium suum fideliter prestiterunt. At quam
multi modo, uti cõqueritur discipulus de tem-
pore serm. 11. in vigil. Nat. vana exercent
cum deberent unusquisq; gregem curare suum.*

33. *Quoad nobiliores & sunt Angeli, qua-
rum vel unus conjunctim est tum ejus tum*

Pastorum statio v. 9. in quo præmittitur Ecce attentationis: oportuit enim bonum Dominum certificare expectantium voluntates Cypr. de Nat. Chr.

34. Et exponitur quoad Angelum ~~in~~ persona, seu subjectum, Angelus Domini, ut denotetur ipsum non sua autoritate cælo descendisse, sed à Deo missum esse, quo fidem habeamus ejus testimonio. Et à supernis legationibus Evangelium incipit, cujus primi dictatores Angeli Cypr. d. l.

35. Tum facta est quidem ab accidente inopinato, antecedenter: Adstitit eis, seu proprie superstuit. hoc enim est ἐπέστη, vel, quia quasi ex aère capitibus illorum imminebat, vel quia ex improvise nihil tale cogitantibus supervenis, uti usurpatur Luc. 10, 40. Act. 4, 1. Priusquam verò Redemptor in carne nasceretur, inquit Beda, discordiam habuimus cum Angelis, à quorum munditia per primam culpa meritum, per quotidiana delicta longe distabam, sed quia nos cognovimus Regem, cognoverunt nos angeli cives suos. Et fuit procul dubio Gabriel qui nativitatem quoque Mariae intima. vis Luc. 1. 31. uti antea Danieli c. 9. & Zacharia Luc. 1, 19.

36. Consequenter: Et gloria Domini
cir-

circumfulsit illos. Non ergo simplex fuit An-
 geli claritas, quam quoque habent, uti constat
 ex Matt. 28. 3. sed majestatica. Non vero cla-
 ritas Moſis, qua ſervi Exod. 34. 33. ſed Domi-
 ni 2. Corinth. 3. 7. Agnoſcite igitur, inquit
 Bernh. ſerm. 4, in Nat. Dom. dilectiſſimi,
 quanta ſit ſolemnitas: cui & dies brevis, & terra
 anguſta eſt latitudo, loco pariter & tempore di-
 latatur, noctem præoccupat, cœlum replet ante-
 quam terram, nox enim ut dies illuminata eſt,
 cum in tempeſta noctis hora paſtores circumful-
 ſit lux nova de cœlo, & cum vera Lux mundi
 naſceretur in mundo, dignum profecto fuit, ut
 præco natiuitatis illius etiam corporales homi-
 num viſus novitate cœleſtis perfunderet lucis.
 Beda. Tenebras non oſtentant, ſed lucem An-
 geli, ut diſcamus lucem amare & non tenebras.

37. Et quoad paſtores. Et timuerunt
 timore magno; inſolitum quippe erat, & pro-
 ptere a perterrefacti & percuſi paſtores: ita nos
 propter conſcientie teſtimonium, quod non me-
 reamur lucem ſed tenebras, ſape percellimur
 inſolitus, ubi ante Q̄oßs ſubintelligitur nata
 ut Matt. 1. 10.

38. Diſtinctum eſt eius prædicatio, qua
 tractat tum Meſſie beneficia & eſt tum
 gaudii magni annunciatio v. 10, in quo per te

motione n ab accidente dum dixit: Nolite timere. Hu nana enim infirmitas concutitur, ubi divina sublimitas manifestatur, ideo timent pastores ad exemplum Adami Gen. 3. 10. Manoë, Jud. 13. 22. Zacharia Luc. 1. 12. Angel9 verò emplastrum quasi vulneribus dat, quia non potuissent audire, nisi timor recessisset inquit Chrysol. Hom. 35. de Nat. Dom. Quo introitu innuitur restaurata esse illa, que Adam amiserat.

39. Et per assertionem, ubi argumentum, cui præmittitur attentionis vox Ecce: ut cò magis accenderent, quare timere non deberent, significans se mirandam rem nunciare.

40. Et exponitur causa, generaliter: annuncio enim gaudium; Exultemus igitur inquit Bernh serm. 6. in Vid. Nat. Fratres in hac nativitate & multipliciter gratulemur in eà, quam & salutis utilitas & unctiois suavitas & Filii Dei majestas tam eleganter illustrat? voxq; ευαγγελίζουσα que Ebraicè dicitur bisser ex Es. 40. 9. predicationem Evangelicam ipsam innuit. Per gaudium verò intelligit gratiam Dei & omnia beneficia.

41. Specialiter describitur gaudium amplificatione ab effectu, partim à magnitudine, quod magnum; Et verè magnum, cum nihil

hil desit, cum nulla interveniente tristitia tur-
betur, & quia gaudium caeleste, gaudium eter-
num, ut habet Beda.

42. Et ab amplitudine ab objecto, quod
erit omni populo. Illudq; desumpsit Angelus
ex Es. 11, 10. Os. 1, 10. Non omni populo In-
daeorum tantum, neq; omni populo gentium
tantum, sed omni populo. Gaudeat ergo o-
mnis peccator quia invitatur ad veniam, ani-
metur gentilis quia vocatur ad vitam, uti ha-
bet Leo serm. 1. Nat. c. 1. Kemp. medit. 7: de
Nat. num. 5. unde & Syrus dixit: gaudium
quod erat universo mundo. Pertinet igitur ad
omnes, cum excludatur nullus, ut qui Salvator
omnium hominum 1. Tim. 2, 4. etiam eorum
qui non salvantur 2. Petr. 2, 1. propitiatio pro
totius mundi peccatis 1. Ioh. 2, 2. Qui vero
a pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua
voluntate Chrysost. Hom. 7. in 1. Tim. 1, 4.

43. Tum Salvatoris datio v. 11. in quo
ponitur causa, natus est; cum enim Propheta
olim in futuro locuti sint, Angelus natum dicit.
O jucundam vocem, quam audire multi ar-
dentissime optarunt, sed non audiverunt, pasto-
res vero! Audiant ergo & praefracti Indaei: Ve-
nit, non alius expectandum. Audis natum
Chri-

Christum? crede, inquit Bernh. Hom. 23. in Joh. ad c. 3. quomodo? noli disquirere.

44. Describitur per respectum ab objecto, dum dicitur vobis, non, quamvis verbis Es. 9. 6. utatur, nobis pronunciat, quia miseris peccatoribus tanta gratia contigit Ebr. 7. 6. Ad illum enim pertingit propter nos nasci, ad nos vero pertinet in illo renasci, uti habet August. 20. de temp. amavit nos, ut reciperet nos, communicavit nobiscum, & descendit, ut nos exaltaret: sese exinanivit, ut nobis potestatem donaret August. 19. ad fratres in eremo.

45. Tum à tempore, hodie. Ecce illuxit ergò nobis dies redemptionis nova, reparationis antiquae felicitatis aeternae Bernh. serm. 12. in vigil. Nat. Elegit hunc diem sibi ad nativitatem, nobis ad felicitatem, sibi ad obsequium, nobis ad gaudium; Et licet brevis sit dies & transitoria nox natalis, materia tamen exercendae devotionis magna est, & velut indeficiens ignis in altari, habet Kemp. med. 8. de Nat. Non minor ergò debet esse affectio & devotio ad ista cogitanda, quae iam actu transierunt, quam si eadem fieri apud te hodie cerneres.

46. Per effectum, cum Salvator: quia salutem omnibus attulit. Obreve verbum de verbo



verbo abbreviato, habet Bernh. serm. i. vig. Nat. sed cœlesti suavitate refertum! Quid ergo metuamus? Salvator adest: Eramus servi & captivati propter peccatum, venit Salvator & liberavit.

47. Tum Dominus, ut intelligatur ipsum verum Deum esse, quia vox Dominus in V. & N. T. essentielle est Deo. Arg. sic duplex natiuitas, diuinitatis ac sempiterna & incorporatiōnis per virginem corporalis Philast. lib. de Hæres. interim tamen unus Dominus 1. Cor. 8. 6. unde & Maria Θεοτόκος dicitur Luc. 1. 35.

48. Et circumstantia à subiecto loco: in civitate David, scilicet Bethlehem per Synecdochen; Nam ille $\tau\omicron\pi\omicron\sigma\delta\iota\omicron\pi\iota\sigma\mu\omicron\varsigma$ non pertinet ad Dominus, quamvis non excludatur, sed ad natus, ut intelligatur natiuitatis locus.

49. Tum iudicia ab accidentibus petita, & est signorum indicatio v. 12. in quo in genere objectum: vobis, ubi pronomen vobis bis repetitum magnam habet emphasin: Quod hominibus non Angelis Hebr. 2, 16. quod pastoribus, non magnatibus natus.

50. Et adjunctum, erit in signum. Hoc etiam nos nati in carne salvatoris semper animò retinere condecet. Noluit ergò latere qui voluit docere.

51. In specie, modus, invenietis infantem fasciatum. Et est indicium assumpta infirmitatis, quod infans pannis involutus, inquit Beda Hom. sup. hoc Evang. voluitq; habitum nostra fragilitatis assumere, ut paupertatis quoq; generalis statum non refugeret:

52. Tum jacentem in præsepio. Idq; paupertatis est, quod non in stratò sed præsepio positus invenitur. Ita omnis huius nativitatis schola humilitatis est officina, patientia massa, virtutis agonia, habet August. serm. 20. de temp. Propter nos autem 2. Corinth. 8. 9 propter te infirmitas in se potentia, propter te inopia, in se opulentia. Noli hoc estimare quod cernis, sed quo redimeris agnosce, inquit Ambros. in c. 2. Luc.

53. Vel plures, de quorum conventu, quod magna facta congregatio v. 13. in quo accedens & copia, facta est cum Angelò multitudo. Vbi Rex, ibi satellites, Sol iustitia, Malach. 4. 2. ideò astra matutina, Iob. 38. 7. Hacq; eius gloria, quam vidit Esaias, Iohan. 12. v. 41,

54. Et forma, cœlestis militiæ, qua est metaphorica chori Angelici descriptio. Bene autem nominatur Angelorum exercitus, qui Ducem militiæ cœlestis sequebantur, Ambros lib. 2. in Luc. & alias in modum castrorum apparatus se legunt.

leguntur, Gen. 32. 2. ut tanto major esset autoritas habita concionis angelica, apparuit magna multitudo cœlestium exercituum; & quidem in aere, quia non venerant ad pugandum.

55. Et effectus: Laudantium Deum & dicentium. Cui enim alias laudem Angeli nisi Domino suo dicerent? juxta quod scriptum est: Laudate Dominum in excelsis: Laudate Dominum de cœlis. Laudate Dominum omnes Angeli ejus: impleta est prophetia. Laudatur de cœlis Dominus, & videtur in terris, uti habet Ambr. lib. 2. in Luc. Laudans verò illi competenter, laudemus & nos obedenter, sunt illi nuntii ejus, sumus & nos pecora ejus, August 23. de temp.

56. Tum est concentus Angelorum, glorificatio. v. 14. in quo forma hujus acclamationis exprimitur partim quoad causam efficientem, respectu Dei: Gloria in altissimis Deo Et quidem gloria misericordie, justitie, veritatis, sapientie & omnipotentie; cui enim terra locum nativitatis negavit, illi cœlum, astra, Angeli famulantur. Et quidem Deo ob missionem & incarnationem Filii gloriam canunt. Ut discamus & nos Deo gloriam dicere; Non enim Angelorum semen, sed nostrum assumpsit.

57. Et

57. Et quoad effectum respectu hominum, communem: in terris pax; quia natalis Domini natalis pacis est, uti habet Leo M. serm. 6. solenn. Nat. c. 5. Quin pax est ipse Filius Dei, uti habet Theophyl. in Lucam. Nempe pax inter Deum & homines, Princeps pacis venit Es. 9. 6. in conscientia Rom. 5. 1. inter homines & Angelos. Et quis alias ita pacificus ut Dominus noster Iesus, qui est pax nostra, qui solvit inimicitiam & in sua carne eam destruxit? Origen. Gom. 38. in Lucam.

58. Peculiarem, Et hominibus bona votas: quemadmodum melius legitur, cum verbum *ἰδοxένω*, plerumq; cum Dativo constructur mediante prepositine *ἐν* Matth. 3. v. 17. 1. Cor. 10. 5. ut Deus requiescat in illis hominibus propter Christum, propter quem habet beneplacitum in iisdem Es. 42. 1. Eph. 1. 5. Non enim sunt duae partes hymni summamim dicendo, sed tres; ut, quemadmodum in Christo totum mundum dilexit, ita etiam complacuerit, omnibus enim & toti mundo annunciat gaudium, licet conjunctio non sit addita: neq; propterea est tautologia, uti Piscator opinatur ad hunc loc. quia quomodo pax sit in terris ostenditur, nempe per filium, conjunctio vero non semper additur. Gloria proinde Deo, qui desperatis
mor-

105
mortalibus munus æternæ salutis exhibuit,
& pax hominibus, quos certamine suo
Christus de captivitate diabolicâ revocavit,
ut habet Max. Taurinens. Hom. 2. in Natal.
Dom. Tandemq; beneplacitum cunctis!

NOTÆ.

I.

A Scendit Joseph.) considera devo-
tionem parentum Christi, ut discas
ascendere, si vis Christum apud te nasci.

II.

Signum hoc vobis.) considera si-
gnum dare Angelum pastoribus simplici-
bus, ut discas simplicitatem sectari, si vis
Christum invenire.

III.

Gloria in excelsis.) considera Ange-
los laudes dicere Deo, ut discas si velis esse
inter eos, æquè Deum laudare.

CASUS CONSCIENTIÆ

An pauperes rectè sub censum vo-
centur?

Pauperes fuisse Josephum & Mari-
am patet, quia in stabulo diverte-
runt,


riunt, par turturum obtulerunt, & labore ac sudore victum querere coacti, dum faber Josephus Matt. 3 55. Pauper autem talis quod sit, habetur in gloss. & Bl. in l. paupertas, 7. ff. de excusat, tuto. Tales vero à collectis immunes esse debent in l. §. major ff. de minoribus & l. fin. C. qui immunes. Scriptura etiam vult, ut miseriamur pauperis, Prov. 19, 17. unde & exactores & officiales remittere collectas seu tributa debent & possunt. Gloss: & Bart. & Johan de Platea circa fin. C. de ann. & trib. Bl. etiam C. de ex. rei Judic. Jason l. avus ff. de pac. Reichs Abschied de ann. 82. S und nach dem in fin, Rom. cons. 369. n. 32. Montispel. cons. 1. n. 5. Pacian. cons. 73. n. 26. Floretz q. 2). n. 129. Loffens de jure univers. p. 3. c. 9. n. 20. Gail. de arrest. c. 9. n. 20. Dare enim nemo, potest quod non habet c. quomodo dist. 4. de consecratione. Neg. astringi quis debet ad id quod non potest l. si pupil ff. de negot. gest. non entis nullae sicut qualitates Ludov. Gemmes ad Regul. cancell. tit. de ar. nal. Posses. 436.

v. circa quart. l. pen. ff. de Reb. cred. *Q*
id quod caret substantia caret & accidenti-
bus, Bald in l. cum oportet in princ. n.
 circ. fin. c. de bonis liberis, *nimirum ar-*
bitrantur nonnulli, in tantum ejusmodi
immunitatem pauperum esse privilegia-
tam, ut communitas, cum qua reliqui ci-
ves contribuere tenentur, illam tollere nul-
lo modo possit, quodq; pauperes si inscripti
essent a stim. o de eò rursus deleri debeant, u-
ti censuit post Bald. & Jas. Surdus de ali-
 ment. tit. 8. privat. 9). n. 5. Luc: de Pen-
 na in l. omnes pensitare C. de ann. &
 tribut. *An vero alii teneantur pro pau-*
peribus, presertim si ad laborem minimè
idonei & propterea ab aliis alendi sunt, l. si
quis ad declin. §. ubi ante C. de Episc. &
Cler. disceptatur: & partim ad scripturam
provocatur, quæ jubet juvare pauperes ex
Matth. 10. v. ult. partim ex allegatis: mo-
do non sint facti ex malitia pauperes, quia
tum immunitatem nullam præbet pauper-
tas Tiraq. ad l. si unquam ad V. Bona n.
 50. de revoc. donat. Jason ad authent.
 Res

Res quæ n. 20. C. comm. de legat. & fidei commiss. interim qui ad publicam imperii utilitatem determinati census, communi statuum consensu, solvendi sunt quomodocumq; possint, per not. Bald. in L. si vero § qui pro rei n. 3. v. unde si villa ff. qui satisdare cog. Afflict. decis 377. n. 3. & c. Peregrin. 3. consil. 98. n. 13. Pacian. de probat. i. cap. 54. n. 13. Præterea vox ἀπογραφή proprie tantum descriptionem & inventarium denotat, non ipsum censum, nisi per consequentiam: ita ut sine relati parentes Christi in inventarium, sed nondum convincatur ex eò, quod censum statim solverint.

Quod diem Nativitatis Christi concernit, discrepantes sunt opiniones, & propterea in Deliciis dies Solis positus, hic vero in Divitiis dies Veneris, quem secundum Buntingium probamus.

FINIS



Magnus Alexander foret orbis quando mo-
narcha,

Nascendum Vates dixit in orbe Deum,
Natus is Augustus quando regnavit, & orbem
Descripfit totum, virgine verus homo.

Sed fuit hac descriptio prima Cyrenius esset
Quum simul in Siria Praesidis ipse loco.

Hinc ibant omnes: Galilaeis ivit ab oris

Joseph ad Bethles mœnia parva suae;
Cum pregnante sua Maria, dum tempus ades-
set

Hac primogenitum protulit ipsa suum.
Fascioli involvit eum praesepe cubile
praestat, in hospitio nec locus alter erat.

Pastores aderant vigiles regione sub ista:

Angelus his Domini fulgurat, inde mergo.

Angelus at contra dixit nolite timere

Vobis & populo gaudia magna fero:

Natus enim vobis Salvator in urbe Davidis

Qui Christus Dominus vestra simulq; sa-
lus.

Signi certa fides: infans jacet inq; volutus,

Et praesepe sibi grande cubile putat.

Ad.

Adfuit inde repente domestica copia cali,
Laudavitq; Deum, concinnitq; Deum.
Sola Deo sit in excelsis modo Gloria, terris
Pax, homini bene sit, velle cuiq; suum.
Istud ALEXANDRI nunc disquisitio rursus
Præstat, divitiis rursus. Unde petit.
Pergat ALEXANDRI Natalia quarere Christi.
Magnus Alexandri quo sit. Cille dabit.

restatur

GUEINZIUS.

Vitj gravatum mole gaudeas, densis
pellacis atq; cassibus latens sepiis
Eva triumphos posthumum canas sanguen;
nam vesperali Virgo luce produxit
Sotera, lecto conjugata nullius.
Quem scabra labum cuncta levigaturum,
omnesq; sedis ad beata vecturum
cælestis ora, lapsus intimat nobis
pennatus æthrâ lucidâ puer. Rursus
quæ cuncta doctè pandit, atq; natales
scitis recenset ex sacris ALEXANDRI
Christi Calendas: sacra prodius verset!
næ faustat ista gnosis, & beat, cuncta.

SAMVEL STURMIUS. A. I. S.

F I N I S.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017


EVANG.

CHRIST

HALL


Q2 C





Farbkarte #13

B.I.G.



LIARUM
LICARVM

tio Quinta

SIDE

GUEINZIO

Salani

idente

ALEXANDRI

Marchico

itatis Christi.

. Is. CIVL.

XONUM

Melchioris. Oel-

ely.

Dn ungen.

